

1794.

Q. D. B. V.

EXCERPTA
CONTROVERSIARUM
ILLUSTRUM,
DE
S P O N S A -
L I B U S ,

P R Ä S I D E

V I R O N o b i l i s s i m o , A m p l i s s i m o ,

C o n s u l t i s s i m o a t q u e E x c e l l e n t i s s i m o / 3 : 2 /

D N . J O H A N N E H E N R I C O
F E L T Z I O ,

J . U . D . P a n d e c t . & J u r i s C a n o n i c i

P r o f . P u b l . O r d i n a r i o C e l e b e r r i m o ,

S O L E N N I D i s q u i s i t i o n i


f i s s i t

C A R O L U S J O S E P H U S D E Z O L L E R N ,

T a b e r n e n s i s ,

A d D . I X . O c t o b r . A n n o M D C C V I .

A R G E N T O R A T I ,
Literis J O S I A E S T Ä D E L I I , Acad. Typogr.



Præloquium.



Xhibituro mihi qua-
leculque meorum
studiorum specimen,
præcipua cura obver-
sabatur, in quam potius materiam
diverterem, ne operam prorsus
lusisse videri possem. Evidem
passim jura nostra infinitas cau-
fas ingeniorum exercendorum
gratia suppeditabant, neque fru-
ctu suo destitutas, neque à de-

A 2 lecta-

lectatione longe alienas. Tandem
ut ex Jure Civili proponerem,
quæ & radices in Jure Canonico
agant, devolutus sum in res ma-
trimoniales, in quibus quasdam
circa Sponsalia Controversias
placido auditorii examini sub-
jiciendas esse duxi. Si in illis ali-
qua acu tetigi, erit, de quo mihi
gratuler; si erravi, agatur me-
cum, precor tanquam cum ho-
mene in disciplina adhuc versante,
correcturo, si quid in præsen-
tiarum minus forte bene posuit,
imposterum, si sacrarium Themis-
dis penitus perlustrare contigerit.

Controv. I.

Controversia I.

*An impubes ante septennium
possit contrahere sponsalia?*

Ro affirmativa potest tentari, quod l. 4. ff. de spons. docet in sponsalibus contrahendis ætatem contrahentium definitam non esse, ut in matrimoniis, quapropter & à primordio ætatis sponsalia effici posse, si modo id fieri ab utraque parte intelligatur. Dicit: à primordio ætatis, id est, statim accepta vita, moderata tamen interpretatione, nimirum si haec tenus intelligent contrahentes quod agunt. Verba enim legis allegatæ subsequentia; id est, non sint minores quam septem annis; redolent manum Tribonianii vel alicujus interpretis. Deinde constat ex analogia Juris, malitiam aliquando supplere ætatem, & ju-

dicium antevertere annos, quo casu pa-
lam est Jura communia quandoque mutari, nam & ordinariè non contrahuntur
ante duodecimum annum matrimonia,
quod tamen exceptionem patitur, ubi
malitia suppleverit ætatem, *cap. 9. X. de-
spons. impub. c. 6. X. eod.* Accedit, quod
per naturam non sit impossibile, septen-
nio minores quoque consensum quen-
dam præstare posse, aliquemque rei intel-
lectum habere. Adde, quod negotia hæc
inserviant Reipublicæ, & favor matrimo-
niorum quæ exitum habere queunt, hinc
maximus habeatur. Nec omittendum
est, quod in contrahendis sponsalibus plu-
rima dēpendeant ab illo, in cuius sunt
potestate contrahentes, quæ cum Jure ve-
teri jus quoque vitæ & necis in liberos
complectetur, *l. n. ff. de liberis & posthu-
mis. l. ult. C. de patria potestate.* quid im-
pedit, quin in ipsis cunis sponsalia potue-
rint intervenientibus parentibus celebra-
ri, cum pater præsumatur liberis suis bene
pro-

prospexisse, arg. princ. instit. de satisdat.
tut. Neque abludit, l. 7. §. 1. ff. de spons. l.
12. princ. ff. eodem, ubi consensus libero-
rum præsumitur non repugnare volunta-
ti parentis, si non evidenter dissentiant.

Tandem quæ quoad intellectum, con-
sensusque præstationem magna depre-
henditur differentia, inter septennio pau-
lo minorem & paulo majorem? Si enim
excludas favorem matrimonialem, paren-
tum voluntatem, & his velificantes leges,
in neutro adhuc magna consilii vis, quam
quidem in tam seriâ re exigere videntur,
elucescit.

Attamen negativæ sententiæ calcu-
lum apponimus nostrum. Fundamen-
turn trahimus ex ipsa allegata leg. 14. ff.
de spons. ubi præcise ad sponsalia contra-
henda requiruntur ad minimum septem
anni, quo termino infantia definit & pue-
ritia incipit, l. 1. §. 2. ff. de administrat. &
pericul. tut. l. 18. C. de Jure deliberandi. In-
fantes plane judicio carent, quod jam
cen-

censetur se exerere, si infantia prætervecta fuerit; §. 9. *Instit. de inut. stipulat.* Pueritia autem medium spatiū est inter infantiam & pubertatem, l. 8. §. ult. *C. de Jure deliberandi.* quæ ætas consilium quidem sibi dare non potest, ab aliis tamen datum quodammodo accipere. Consentit Jus Can. c. 4. & 5. *X. de spons. impub.* Nec obscura ratio est, cum eorum, de quorum sponsalibus agitur, consensum requirant leges, l. 11. 13. ff. *de spons.* infantes autem aut non possunt fari, aut per ætatem de nulla adhuc re judicium ferre, l. 32. §. 2. ff. *de acquirend. vel admittend. possess.* hinc comparantur furiosis, l. 60. ff. *de rei vindicat.* Adeo ut nec à parentibus infanticum nomine facta sponsalia obligent, et iam si fuerit adjecta poena, c. 1. c. 30. q. 2. cap. 1. *X. de spons. impub. in 6.* Breviter in septennibus leges & canones præsumunt, illos non esse inscios eorum, quæ aguntur, iisque inesse facultatem cum judicio consentiendi parentibus tutoribus que

Quod Modestinus *dicta lege 14.* innuit,
hinc & Jus Canonic. non admittit sponsalia
infantum ante septennium, non tam
propter ipsum annorum curriculum,
quam ob præsumptum Judicij competen-
tis defectum, c. i. X. de despōs. impub. in
6. c. 4. 12. X. de despōs. impub. Confer.
Beust. de spons. q. 3. § 4.

Controversia II.

*An sponsalia clandestina, id
est, clam remotis testibus
contracta producant effe-
ctum matrimonij?*

NEgantium causam tuentur odium
clandestinitatis, suspicio dolo-
rum, & corruptelarum, dignitas
matrimoniorum, difficultas probatio-
num &c. Hinc clandestina conjugia pe-
nitus inhibemus, ait *Innocentius III. c. 3.*
X. de clandest. spons.

B

Verum

Verum ob favorem matrimoniorum
Juris rigorem æquitate temperaturi, ex-
istimamus: clandestinas tales despon-
sationes vim habere & producere effe-
ctum matrimonii, cum & aliquando, ut
majus evitetur incommodum, minus
toleretur. Hinc & unanimis fere Cano-
nistarum est sententia, solam clandesti-
nitatem per se matrimonium non vitia-
re, utroque fatente, se clam contraxisse,
si præsertim aliis sponsalibus non præ-
judicetur, neque aliud obstet impedimentum;
vide citatos à Petro Heig. l. 1. q.
22. n. 28. quo præprimis facit Alexander
III. in c. 2. X. de clandest. spons. ibi: ab Ec-
clesia recipienda sunt & comprobanda,
tanquam à primordio in Ecclesia conspectu
contracta. Nimirum defectus testium
sponsalia quoad essentiam non facit irrita,
nisi ubi diserte hoc sancitum est, alias te-
stes tantum ad probationem requiruntur,
qua, ubi utraque pars contrahens fatetur,
opus non est.

Controy. III.

Controversia III.

*An sponsalia clandestina, id
est, clam parentibus cele-
brata subsistere queant?*

 Landestinorum sponsaliorum in hoc sensu nullam mentionem facit speciatim Jus Civile; si autem examinemus Jus Canonicum, illud potius verbis quam ipsa re de illis agit, c. 26. X. de spons. Nam &c ipse titulus, qui de clandestina desponsatione inscribitur, revera conceptus est de ipso matrimonio; *Canisius in hunc titulum.*

Videtur præferenda esse negativa, non tam ex eo, quod sponsalia sint stipulatio-nes & mutuae promissiones, l. i. 2. ff. de spons. jam vero stipulans sibi videtur stipulari ei cuius Juri est subjectus, & pro-mittens vicissim, §. 4. *Instit. de inutil. sti-*

pulat. quam, quod hic speciatim intersit eorum, quorum in potestate sunt contrahentes, ne quivis familiæ suæ ipsis invitatis adscribatur. Hinc ipsorum consensus requiritur ; quem præterea leges etiam expresse exigunt, l. 7. §. 1. ff. de spons. l. 2. ff. de rit. nupt. §. 12. *Instit. de nupt.* cum tales adhuc nescire censeantur quid sibi expediat, l. f. C. de repud. N. 22. c. 19. in fin. Addatur dispositio Juris Canonici, c. 3. c. 30. q. 5. & c. 32. q. 2. c. 12. & Juris Romano-Germanici in R. l. de A. 1548. c. 21. Hinc & propter spretum parentum consensum possunt carcere vel alias extraordinarie coerceri. *Carpzov. in Jurisprud. Ecclesiast. lib. 2. t. 3. definit. 50.* quod in Belgio extenditur quoque ad adjutores art. 13. *Polit. Holland.* & *Carol. constit. de Anno 1540.*

Verum enim vero debet hic studiose distingui inter dispositionem cuiusq; Juris, & effectum ejusdem ; non enim statim sequitur, requiritur hoc vel illo Jure consen-

sensus parentum ad sponsalia, & qui citra eum contrahunt, puniuntur. Ergo illud ipsum sponsalia sine consensu parentum contracta jubet esse nulla. Evidens est per l. 11. ff. de stat. hom. & §. 12. Instit. de nupt. At Jure Naturali primum, quod utique liberos etiam adstringit ad rogandum a Parentibus consensum in isthoc maximi momenti negotio, non tamen ideo conventionis non observata hac lege, nulla est, vid. Puffend. de J. N. & G. lib. 6. cap. 2. n. fin. Neque porro Jure Canonico omnis illi valor denegatur, vid. cap. 2. X. de clandesf. despof. & Concil. Trid. Sed & in plerisque Germaniae locis id obtinet, ut liberi quidem puniantur, sed actum ideo non censeatur nullum, vid. Strauch. Diff. 3. ad R. I. n. 30. quod præcipue locum habebit, ubi res non amplius est integra, nuptiis sponsalia jam subsecutis. In Gallia de cœtero non sponsalia modo, sed & nuptiæ sine parentum consensu contractæ

nulla declarantur, etiam si jam liberi inde
fuerint progeniti.

Controversia IV.

*An sponsalia conditione ad-
jecta, quæ omnino extitura,
valeant perinde ac si pure
contracta sint?*

Interpretes communiter conditio-
nes solent dispescere in necessa-
rias, quæ vi & necessitate naturæ
existere debent, ex. gr. si sol orietur in can-
cro, si amita morietur &c. & accidenta-
les, quarum eventus fortuitus est, ex. gr.
Si Titius consul erit. Jam vero certum est,
quod eventus necessitas, reique futuræ
veritas conditionis effectum, quo minus
negotium interim suspendatur, donec ca-
sus eveniat, non impediant, l. 45. §. 3. ff.
de V.O.l. 40. §. 2. ff. de condit. & demonstr.
ut si id quod in conditions ponitur,
cer-

certe necessarioque sit eventurum. Ha-
cenus ergo videtur esse differentia inter
sponsalia pure contracta, & sponsalia sub
conditione, quamvis necessario effectum
suum habitura. Dici quoque potest, non
obstare conditionem in præsens & præte-
ritum tempus esse relatam, cum tamen
hæc jam certa sint vel certa fuerint.

Verum nitimur effato Ulpiani *l. 9. §. 1.*
ff. de Novat. qui sub conditione stipula-
tur, quæ omnino est extitura, pure videtur
stipulari, & Papiniani in *l. 79. ff. de condit.*
& demonstr. qui dicit: purum esse lega-
tum relictum sub conditione, quæ non
potest non existere. Nam in genere con-
ditio supponit eventum, de quo contra-
hentibus nondum notum est, an extiturus
sit, annon. Quia itaque hoc in nostro
casu certum est, eventum pactum extitu-
rum, ideoque non potest habere vim
conditionis. Spes enim tantum futuræ
obligationis in conditionatis sponsalibus
est, non autem ipsa obligatio, *l. 54. ff. de*

V.O.

V. O. Hic autem res certa est, quamvis differatur. Hinc dicendum: quoties inveniuntur additæ formulæ tales, ex. gr si sol orietur in cancro, si amita morietur: sponsores non tam respexisse ad existentiam eorum, quam tempus celebrandi matrimonii rejecisse post tempus mortis amitæ, post ortum solis in cancro, ut pure sit facta stipulatio, sed in diem dilata actio, l. 79. ff. de condit. & demonstr. Hoc tamen admittimus, si amita actu ægrotat, spondentes si morietur, videri eo direxisse sermonem, ut intelligent: si morietur ex hoc morbo; & tunc agnoscimus conditionem factam, quæ, cum ratione suæ existentia incerta sit, recte obligationem suspendit.

Controversia V.

An conditio impossibilis adjecta sponsalibus illa vitiet?



I analogiam Juris Civilis sequimur, nullum fere dubium remanet,

net, quominus affirmativa nobis placere possit. Sponsalia etenim nihil aliud censi possunt, quam contractus, ideoque consensum exigunt contrahentium; jam autem in omnibus contractibus ne unico quidem excepto manifesti juris est, ut per adjectionem impossibilis conditionis irritentur, cum ea eisdem consensum excludat, §. II. *Instit. de inut. stipular. l. 31. ff. de O. & A.* adeo ut potius ludere & cum ludibrio virginem rejicere videatur, qui sponsalibus conditionem impossibilem adjicit, quam contrahendi animum habere. Par causa est conditionum lege impossibilium seu turpium, sub quibus contractæ stipulationes plane nullius sunt momenti, l. 26. ff. *de V. O.* ex iisque actio non datur, l. 27. ff. *eod.* Quid autem sunt aliud sponsalia quam ejusmodi negotium. l. 1. ff. *de spons.* Suadet idem publica honestas, matrimonii dignitas, & ne tam seria res jocis vim debeat.

Verum quicquid de Jure Civili vexatae huic controversiæ objiciatur, attamen re-

C

cipi-

cipiendam ducimus negativam propter
textum manifestum Gregorij IX. in c. ult.
X. de condit. despōsi. appositis, qui etiam
singularitatis rationem notanter allegat, &
constituit in favorem matrimonii, tum
ne restam seria videatur lusu peracta. Nec
enim par est ut utile per inutile vitietur,
c. 37. X. de R. J. in 6. neque obstat con-
sensus defectus in contrahentibus, is enim
suppletur per autoritatem Legis. Simpli-
citer quoque adjectio impossibilis condi-
tionis non vitiat omne negotium, uti vi-
dere est in ultimis voluntatibus & legatis,
in quibus cum id benigne contra com-
munem Juris rationem receptum sit, cur
idem res favoris plenissima matrimonium
non persuadeat? Et hactenus Pontifex im-
becillioribus succurrit, petulantiamque,
consentientium in rem in quam non de-
bebant consentire, coērcet, consensu quo-
ad cōetera validato. Qui enim consen-
sit, cum non deberet, eum consensum
nunquam in suam partem inque suum
com-

modum interpretari debere æquitatis vi-
detur esse.

Controversia VI.

*An sponsalia per metum illa-
tum contracta valeant?*

Qui in affirmantes partes eunt, his
forte moventur, quod coacta licet
voluntas tamen voluntas sit. Vult
enim, quo dcunque agit, qui metu coactus
agit, atq; voluntatem suam, si non omnino
liberam, remissam tamen interponit con-
tractui, arg. l. 21. ff. §. 5. quod met. cauf. ibi:
tamen *coactus volui* &c. His conséquen-
ter vult sponsalia celebrare metu com-
pulsus, qui forte vult præsentem mortem
effugere, addunt l. 22. ff. de rit. nupt. Si
patre cogente duxit uxorem, quam non
duceret, si sui arbitrii esset, contraxit ta-
men matrimonium, quod inter invitatos
non contrahitur, maluisse hoc videtur.
Quæ autem circa coactionem dicta sunt,

C 2

ac-

accommodari quoque possunt metus il-
lationi. Porro in toto Jure Civili nusquam
agitur de restituendo in integrum eo, qui
metu perterritus sponsalia constituit,
quod si ita esset, Imperat. & Jurisconsulti
non omisissent, cum tamen plurima circa
contractus per metum factos tradiderint.
Objiciuntque l. 21. princ. ff. quod vi me-
tu ve &c. ubi metu facta promissio sub-
sistit, quod præsentis est casus. Militat
tandem favor matrimonii, in quo semper
spectandum, ut negotium potius valeat si
possit, quam ut effectu suo careat.

Nos tamen his non obstantibus ne-
gativam sententiam tuemur. Liberrimus
enim & nullo vitio impeditus consensus
requiritur quoad sponsalia constituenda
in utroque contrahentium, l. II. ff. de spons.
animi in unum debent conspirare, non
sentit qui metu adigitur invitus, l. I. ff.
quod met. caus. &c. ore consentit, animo
non consentit, l. I. §. 3. ff. de pact. Hinc dici
posset quæcunque Imp. & Jcti statuerunt
de

de eorum rescissione & nullitate, quæ vi
metuve contracta sunt de præsenti quo-
que quæstione, & si non κατὰ τὸ πόντον ta-
men κατὰ τὴν διάβολον, esse intelligenda,
arg. princ. Instit. de legit. agnat. tut. ait Præ-
tor, quod metus causa gestum erit ratum
non habebo, *i. e. ff. quod met. caus.* loqui-
tur indefinite adeoque universaliter, quia
utrobique par ratio.

Verum hodie non est opus, ut ad re-
stitutionem in integrum hoc in casu re-
curramus, cum in hac materia Juri Cano-
nico potius stemus; quod autem Jus Ca-
nonic. attinet, illo contracta metu spon-
salia ipso jure irrita seu nulla dicuntur.
Gloss. in c. 2. X. de his qui vi metuve.
Gloss. in c. 22. caus. 22. quæst. 4. c. 2. X. de
eo qui duxit in matrimonium c. 13. X. de
spons. c. 14. c. 29. X. eod.

Controversia VII.

*An sponsalia errore contracta
subsistant?*

Vide-

Videntur in genere sponsalia, in quibus intervenit error, vitium contrahere, illa enim requirunt consensum l. 4. princ. ff. *despons.* l. 7. §. 1. ff. b. l. 11. ff. ibi: *error autem excludit voluntatem, adeoque consensum,* l. 116. §. 2. ff. de R. J. l. 15. ff. *de Jurisdic̄t.* l. 20. ff. *de aqua pluvia arcenda.* Nam error non dicitur Jus facere, accedit & dignitas negotii sponsalitii, quod cum intendat individuam vitae consuetudinem & communione tam sacrorum quam profanorum l. 1. ff. *de rit. nupt.* rationis est, ut contrahentes legem hic sibi apertissime dicant, nam in omnibus negotiis, ait Pomponius l. 57. ff. *de O. & A.* contrahendis sive bonae fidei sint sive non, si error aliquis intervenit ut aliud sentiat puta qui emit, vel qui conduit, aliud qui cum his contrahit nihil vallet, quod actum sit, & idem in societate quoque (adjicimus matrimonii) coercenda, respondendum est, ut si dissentiant aliud

liud alio existinante nihil valet ea societas quin consensu consistit.

Nobis placet sub distinctione hanc controversiam decidere, error vel est circa essentialia & omnino necessaria, vel est circa accidentalia, ille vitiat, non hic, est autem illa circa ipsam personam, l. 9. ff. de contrah. empt. *Gloss. in c. 1. caus. 29. quest. 1.* ejusque intrinsecam qualitatem ad matrimonium exactam, e. gr. ut virgo non sit vitiata, l. 5. C. de spons. arg. l. 9. §. 2. l. 14. ff. de contrah. empt. adeo ut si ipsam quoque cognoverit, eapropter sponsalia non restituantur, *Carpz. Jurisprud. consist. l. 2. t. 10. defin. 187. & 198. Lessius de Justitia & Jure CC. dubio 3. n. 29.* utique si inscius devirginationis illam sibi despontaverit nam scienti non ignoscitur, l. 1. inf. ff. de act. empti. l. 43. §. 1. de contrah. empt. l. 203. de R. J. c. 8. 6. X. de R. J. in 6. Error circa accidentalia non infirmat sponsalia. ex gr. error nominis, modo de corpore constet. l. 32. ff. de V. O. l. 9. §. 1. ff. de

con-

contrah. empt. circa bona animi. c. i. c. 29.
quest. i. fortunæ vel corporis, arg. l. 43.
§. i. ff. de contrah. empt. bona animi &
corporis ita intelligimus, ne obstent ma-
trimonii essentiæ & naturæ, id est ut spon-
sa non sit vitiata juxta distinctionem su-
periorem.

Controversia VIII.

*An sponsalia de præsenti in-
ter impuberes, si adveni-
ente pubertate sequantur
actus conjugales, non ta-
men copula, vim matri-
monij habeant?*

Pro affirmativa communiter alle-
gatur, cap. unicum de despensi. im-
pub. in 6. ibi: per cohabitatio-
nem eorum mutuam, seu alias verbo, vel
facto ipsorum liquido apparet eosdem
in

in eadem voluntate perdurare, & in sequentibus nisi per carnis copulam subsecutam vel aliquem modum alium &c. quibus verbis videtur innuere Pontifex, non præcise voluntatem matrimonii declarari per copulam, sed & aliis actibus matrimonii illativis tolerabilibus in sponsis, in decentibus in aliis, quales sunt oscula, amplexus &c. nam ajunt eo ipso perseverantiam eorum voluntatis testationem exhiberi, & amplexus præsumptionem inducere, tum & ejusmodi actus esse analogos conjugalibus. Tandem quoque probabilis inde conjectura pro matrimonio surgit, ut evitetur peccatum. Potest & dici oscula intervenientia alios juris effectus producere. Hinc vasallus feudo privatur qui turpiter lusit cum uxore domini, quod recte interpres de osculationibus etiam lascivis intellegunt, 1. feud. 5. & 2. feud. 24. Rittersbus partitionibus feudalibus. 2. c. 5. n. 94. arg. l. i. §. 2. ff. de extraord. criminibus.

D

Sic

Sic si osculum intercesserit sponsa non restituit nisi dimidium sponsalitiae largitatis, si non intercesserit totam restituit, l. 16. C. de donat. propter nuptias.

Contra nos adstipulamur negativæ moti allegato Pontificis textu, cap. unico de deßpons. impub. in 6. qui satis perspicue carnalem copulam vel aliam novam declarationem consensus in matrimonia vel verbis vel factis expressam, verbis ex gr. si denuo palam contrahant sponsalia de præsenti, factis ex. gr. si sponsus sponsam in domum suam deducat, cœterum ex osculis non potest simpliciter colligi sponsio, Sanchetz l. 1. de matrim. Disput. xxii n. 6. cum & invitatis possint oscula surripi & incogitantes brachiis circumfundи. Id enim receptum est ne suspectæ pudicitiae teneatur quæ fibi osculum imprimi patitur, præcipue, si mos regionis ita ferat, ut salutatio ex. gr. fiat osculando, uti testatur de Batavis Brouer. de jure connubiorum l. 23. 16. & 2. 25. 3. 3. de Gallis quo-

quotidiana experientia, quam consuetudinem si non omnes moratores gentes suam fecerunt, suam forte facient. Hoc tamen temperamentum adjiciendum esse censemus, si puella incertior paulum, ut solent, sponsori dicat: Er küssse mich/ zur Bekräftigung unserer Ehe-Verlobnuß; & is serio infigat basium tunc sponsor non amplius poterit ejusmodi actum contra matrimonium interpretari. Quamvis hic oscula potius sint signa declarati de novo consensus, quam ut exinde unica matrimonii vis accersatur.

Controversia IX.

*An sponsalia dissolvantur
propter sponsi absentiam?*

Qui affirmant, concludunt forte ex
absentia præsumi dissensum fa-
ctum, adeoque renunciatum

D₂ esse

esse sponsalibus, quæ renuntiatione etiam
unius dissolvuntur de Jure Civili, l. 1. 2. &
5. C. de spons. Imo nec omnino recusan-
tes de Jure Canonico compelluntur con-
jungi c. 2. & 17. X. de spons. alias etenim
sponsa videtur elusa, cui tamen succur-
runt leges, ne occasionem nubendi omit-
tat propter culpam alterius, l. 2. C. de
spons. l. 2. C. de repud. Qui negant, oppo-
nunt dignitatem & sanctimoniam matri-
monii, quod non debet levibus ejusmodi
causis subjici, nam & in conjunctionibus
non solum quid liceat considerandum
est, sed & quid honestum sit, l. 179. ff. de R. J.
nec alii contractus propter absentiam u-
nius vel alterius distrahuntur, addunt &
l. 17. ff. de spons. & l. 1. princ. ff. de his qui
not. infam. nempe infames fieri, qui post
contracta sponsalia ad alia transfiliant.

Nobis sub distinctione hic responde-
dum esse videtur, aut temporis determi-
natio est adjecta tanquam conditio vel
non; si illud, propter absentis moram sol-
vitur

vitur obligatio, c. 22. X. de spons. nisi vis
 major impedierit, dicto c. 22. l. 17. ff. de
 spons. l. 16. ff. ex quibus causis maiores, l. 23.
 §. 1. ff. de receptis arbitris. l. 2. C. de annali-
 bus exceptionibus. nam tunc terminus fa-
 cto præstanto præfinitus, ipsam vim obli-
 gationis limitat atque restringit. Si non,
 tunc haud procedit dissolutio, nam rei
 consummandæ gratia tempus contractui
 perfecto adjectum & exspirans non mu-
 tat obligationem, l. 23. §. 1. ff. de receptis
 arbitris. Terminus enim hic magis ma-
 turandi matrimonii quam obligationis e-
 lapso tempore extinguae gratia pacto
 accedit. Distingui quoque potest ex l. 17.
 ff. de spons. inter absentiam causariam, &
 non causariam; ita ut illo casu sponden-
 tes debeant exspectare tempus, hoc au-
 tem non, sed juxta temperamentum le-
 gum & Judicis arbitrium res est
 decidenda.





Dum prætas curam circa sponsalia,
Frater,
Hic etiam quæ mens sit mea, sci-
re cupis.

Accipe: defendas hac nunc feliciter, opto,
Hac quaque post ineas suaviter, optat
idem.

Qui tuus est ex animo fidelissimo
Frater

JOH. IGNATIUS de ZOLLERN,
J. U. L^{tus}.




Straßburg, Diss., 1704-08



Vdn8

B.I.G.



6744.

Q. D. B. V.

EXCERPTA
CONTROVERSIARUM
ILLUSTRIUM,
^{D E}
S P O N S A -
L I B U S,

P R Ä S I D E

V I R O N o b i l i s s i m o , A m p l i s s i m o ,

C o n s u l t i s s i m o a t q u e E x c e l l e n t i s s i m o

D N . J O H A N N E H E N R I C O

F E L T Z I O ,

J . U . D . P a n d e c t . & J u r i s C a n o n i c i

P r o f . P u b l . O r d i n a r i o C e l e b e r r i m o ,

S O L E N N I D i s q u i s i t i o n i

f i s i t

C A R O L U S J O S E P H U S D E Z O L L E R N ,

T a b e r n e n s i s ,

A d D . I X . O c t o b r . A n n o M D C C C V I .

A R G E N T O R A T I ,
L i t e r i s J O S I A E S T Ä D E L I I , A c a d . T y p o g r .